



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

Busenbaum, Hermann

Coloniæ Agrippinæ, 1707

Q. 78. Quis hîc dicatur dignior, dignus, indignus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42600

Similiter fieri potest, ut dignissimus postponi possit digniori, nam si inter tres eligendos unus sit dignus, aliter dignior, tertius dignissimus, & praevideam, si votum meum dem dignissimo, fore ut dignus plura vota habeat quàm dignior, possum praefero dignissimo dare votum digniori, quia sic magis attingo mentem Ecclesiae & finem beneficiorum, *Vasq. Turr. Less. Castrop. n. 12. Lugo n. 31.*

593 §. XV. Per digniorem, qui dicitur sub mortali praeferendus, intelligitur notabiliter dignior: si autem in uno sit parvus excessus, an mortale sit digniorem tum praeferre, dicitur l. 5. n. 204. Docent tamen *Sot. Bann. Salon. Valent. Rodriq.* apud *Dianam* p. 5. t. 5. R. 13. esse tantum veniale, si beneficium sit parvi momenti, & postponatur, qui tantum parum excedit. Quod si videatur esse aequalitas inter plures, aut dubium sit, & discerni nequeat, quis sit dignior, liberam est praeferre, quem voles.

594 §. XVI. Notant *Sigism. Pass. Leur. q. 293. n. 2.* tutius esse eligi dignum, de cujus dignitate constat, quàm eum, qui videtur dignior, de cujus majore dignitate habetur solum probabilitas: si tamen certum sit eum esse aequalem digno, praeferendus est, quia per hoc superat, quod probabiliter sit dignior.

596 §. XVII. Rectè notat *Mendo n. 277.* etiam valde consultum esse, ut ad officia saecularia assumantur digniores, quia id etiam postulat bonum commune ac utilitas omnium; & quando aliter fit, ordinariè est acceptio personarum vel sordida cupiditas pecuniae aut lucri proprii.

597 Q. 78. *Quis hic dicatur dignior, dignus, indignus. R.*

§. I. Dignior dicitur, qui consideratis omnibus donibus corporis & animi creditur futurus Ecclesiae utilisior; dignus, qui habet qualitates requisitas ad ministr-

nisterium; indignus, cui deest aliqua ex qualitatibus ad ministerium requisitis, seu qui non potest satisfacere tali muneri.

§. II. Ille non semper est dignior, qui est san- 598
tior vel doctior, uti expressè *S. Th.* 2. 2. q. 185. a. 3. in O. & ad 3. Item q. 63. a. 2. in O. Et quamvis quis quoad aliqua sit minus dignus, tamen potest cense-ri esse dignior, v. g. si sit ex patria & gratior populo; si non sit implicatus tot negotiis externis; si sit eligibilis, alter autem deberet postulari; si habeat majorem experientiam &c. *Diana* p. 3. t. 5. R. 110. Hinc etiam rectè notat *Lugo* de just. d. 35. n. 2. pro majore dignitate simpliciter statuenda spectandas esse circumstantias, nam sæpe præferenda est doctrina pietati, uti si quis inter hæreticos sit futurus Parochus: è contrà sæpe præferenda probitas & exemplaris vita doctrinæ, maximè inter Catholicos; & idem est de aliis talentis, v. g. concionandi, canendi, conversandi, respectivè ad templa & loca, in quibus erit. Addit *Barb.* de Off. Parochi c. 2. n. 109. judicari debere, quòd adultior sit dignior quàm juvenis, Doctor quàm non Doctor, non habens beneficium quàm habens, sacerdos quàm non sacerdos, nobilis quàm ignobilis, dispensatione non indigens quàm indigens, dives quàm pauper, si Ecclesia sit indigens &c. Vide etiam *Leur.* p. 2. q. 193. n. 3. & q. 293. n. 2. Item dicta n. 576.

Q. 79. Quid præterea notandum sit circa Para- 599
chos, parochias & curata beneficia. R. seqq.

§. I. Parochus videtur dici à græco παράκοικος, *accola* seu *incola*, eò quòd Parochi collocentur inter eos, quorum quoad animas curam gerunt, *Barb.* de Jure Eccl. l. 1. c. 1. n. 13. Et Parochia significat locum certis finibus limitatum, complectentem familias saltem decem, uti vult *Barb.* c. 20. n. 16., aut si jam